Diözese Brixen (möglicherweise in einem Dominikanerkloster), Wende 12./13. Jh.

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



Quid manducabimus? Aut quo opiemur? Hec enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater uester celestis, quia his omnibus indigetis. Querite igitur primum regnum dei et iusticiam eius, et hec omnia adicientur uobis. Dnica xvi ad effesios.

Fratres: Obsecro uos ne deficiatis in tribulacionibus meis pro uobis, que est gloria uestra. Hui rei gracia flecto genua mea ad patrem domini nostri ihu xi, ex quo omnis paternitas in celis et in terra nominatur, ut det uobis secundum diuicias glorie sue uirtute corroborari per spiritum eius in interiorem hominem habitare xpm per fidem in cordibus uestris in caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, que sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum, scire etiam supereminentem scientiam karitatis xpi, ut impleamini in omnem plenitudinem dei. Si autem qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus secundum uirtutem que operatur in nobis, ipsi gloria in ecclesia et in xpo ihu in omnes generaciones secli seculorum amen. Secundum Illo tempore ibat ihs in ciuitatem que uocatur naym. Lucas.

Et ibant discipuli eius cum illo et turba copiosa. Cum autem appropinquaret porte ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris sue. Et hec uidua erat, et turba ciuitatis multa cum illa. Quam cum uidisset dns misericordia motus super eam dixit illi: Noli flere. Et accessit et tetigit locculum. Hi autem qui portabant steterunt. Et ait: adolescens tibi dico surge. Et resedit qui erat mortuus et cepit loqui. Et dedit illum matri sue. Accepit autem omnes timor et magnificabant dm dicentes: Quia profeta magnus surrexit in nobis et quia ds uisitauit plebem suam.

Fratres: Obsecro uos ego uinctus in dno ut digne ambuletis uocatione qua uocati estis cum